





1666.

1. Birnbaum, Johan Abraham: De jure pupillorum singulari.
- 1^a Couringius, Hermannus: De forma judiciorum in re publica recte instituenda.
- 2^a Couringius, Hermannus: De praecipuis negotiis in comitiis imperii Germanici olim et hodie nun tractari solitis. 2 Imp. 1661^o 1741
3. Couringius, Hermannus: De legibus.
- 4 Couringius, Hermannus: De comitiis imperii Romano-Germanici
5. Couringius, Hermannus: De judiciis in re publica recte instituendis
6. Couringius, Hermannus: De commerciis et mercatura
- 7^a Eichelius, Johannus: De requisitis advocato observandis, circa competentem clienti actionem investigandam et felicius obtinendam

8. Glaeserus, Jacob: De contracta literali
9. Glaeserus, Jacob: De foro privilegiato
10. Glaeserus, Jacob: De nullitatibus sententiarum
11. Hakius, Henricus: De licentia renunciandi
12. Hermann, Nicolaus Daniel: De successione herorum
in fenda.
- 13^{at}₌ Wernerus, Georgius: De iuribus ac privilegiis
viduarum 2 Exempl. 1666 & 1672.

Erstausg. J. 1802.

Verlag des Verlegers in Leipzig.

DR. JOHANN ABRAHAM

VERLAG

JOHANN ABRAHAM

DRUCKER

RESPONDENT

NATHAN ABRAHAM

Druck. Po.

1802

Verlag des Verlegers in Leipzig.

1802



E. 29, num. 3. 40.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

JURIBUS AC PRI-

VILEGIIS VI-

DUARUM

Q V A M

DIVINO ASSISTENTE NUMINE

PRAESIDE

DN. GEORGIO WERNERO

JCTO JURIS CANONICI ET FEUDALIS

PROFESSORE ORDINARIO, DICASTERII WOL-
FERBYTANI ASSESSORE

FAUTORE AC PATRONO SUO

SUMME OBSERVANDO

Publicae Eruditorum disquisitioni subjicit

BARTHOLDUS ROSS

RETHMARIENSIS LUNEBURGICUS

AUTOR ET RESPOND.

IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAIORI

Ad diem Februarij.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMULLERI.

Anno clc lcc LXVI.

P. 404

1666, 13^a
16



VIRIS

Generosissimo, Nobilissimo & maxime Strenuo
DN. GEBHARDO ab Alvensleben/ Hæ-
reditario in Glötha & NewBattersleben/ Reverendissimi
ac Illustrissimi DN. ADMINISTRATORIS Archiepi-
scopatus Magdeburg: &c. Consiliario Intimo, arcium Gie-
bichenstein & Morisburg Præsidi Capitanco emi-
nentissimo.

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo
DN. HENRICO Langenbeck/ JCTO
Et Oratori Excellentissimo, Illustrissimo Duci Brunf. &
Lüneburg: DN. JOHANNI FRIDERICO ab intimis
Camerae consiliis, & Cancellario longè meritissimo.

Generosissimo, Nobilissimo & Strenuissimo.
DN. FRIDERICO CASIMIRO ab Eltz/
Toparchæ in Nehtmar/ ejusdem PRINCIPIS Camerae
Consiliario Intimo, & maxime conspicuo.

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo
DN. FRIDERICO Platen/ JCTO, Dica-
sterii ELECTORALIS COLONIENSIS, quod Hildesiae est,
Assessori gravissimo, & inclytæ Reipubl: Hannovera-
nae Syndico dignissimo,

DNNNN. Patronis ac Promotoribus suis
Optimis

Hoc Academicum Exercitium


*In maximorum beneficiorum celebrationem,
& debita observantiae signum*

Offerre voluit

Ipsorum

Subjectissimus Client

BARTHOLDVS Koch.



CUM DEO.

Ractaturus de Juribus ac Privilegiis Viduarum non opus esse arbitor prius hanc materiam speciosis & exquisitissimis verbis exornare: siquidem, juxta tritum illud, vino vendibili non opus est suspensam hederam. Missis igitur ambagibus potius rem ipsam aggredior, laboremque hunc suscipio in Nomine JESU CHRISTI, sine quo nihil unquam commode geri nec perfici potest. Ne vero sine ordine vagemur, hanc materiam in tria membra dispescimus: In primo definitionem vocabuli VIDUÆ tam Nominalem, quam Realem & quæ huc spectant, præmittemus, in secundo ipsa jura ac Privilegia Viduarum videbimus, in tertio denique, quibus modis eadem amittantur, considerabimus: Sit itaque

M E M B R. I.

THESIS I.

AC primo quidem loco in natales & naturam privilegiorum mihi inquirendum esset, nisi alij bene multi hunc laborem mihi præripuissent, uti ergo actum agerem, ita id ad propositum scopum non spectat: de unicam enim eorundem specie, nempe Viduarum agere constitui, ideoque illi oneri humeros merito subduco.

II. Vocabulum VIDUÆ vero alij deducunt à Tu sco vocabulo *Iduo* i. e. divido, separo: Vidua igitur his appellatur,

lata, quasi à viro separata. Macrobi. lib. 1. Saturnal. cap. 15.
Wissenb. ad l. 242. §. 3. de V. S. magis tamen arridet Lab-
onis sententia, quam Javolenus in d. l. 242. §. 3. de V. S. re-
censet: qui Viduam quasi Veduam dictam contendit, à ve-
partic: privativâ & duitate quod sit sine duitate, quemad-
modum Vecors dicitur, qui est sine corde, Vesanus, qui sine
sanitate d. l. Contra hanc originationem vero nititur Al-
ciat. ad d. l. cuius argumentis satisfactum est à Goeddeo ad
eand. l.

III. Sumitur autem vox, VIDUÆ vel propriè, vel
impropriè s. Metaphoricè pro quâcunque privatione & ca-
rentiâ. Sic in c. 2 X. de translat. Episc. Ecclesia aliquoties
dicitur viduata, quæ nullum Episcopum vel inutilem ha-
bet, & Martial. 3. 48. Platanus vidua. Proprie iterum vel ge-
neraliter vel specialiter: Generaliter pro quacunque fœmi-
nâ pubere, quæ sola vivit, & sub se complectitur etiam e-
am, quæ nullum unquam virum habuit d. l. 242. §. 3. vel
Inutilem. Sic Plaut. in Stich. act. 1. sc. 1. credo ego, ait,
miseram fuisse Penelopem, quæ tamdiu vidua viro suo ca-
ruit. Specialiter pro eâ, quæ virum habuit, quem casu quo-
dam amisit: vide latius hæc persequentem Rebhan. Hodog.
jur. chart. 2. dim. 4. paral. ult. §. 15.

IV. In hac posteriori significatione, quæ hujus est lo-
ci, ita definiri potest: Quod Vidua sit mulier, quæ solutis
matrimonii ritè contracti & consummati vinculis citra ipsi-
us culpam à marito suo separata est.

V. Quæ verba seorsim sunt consideranda. Dico au-
tem, solutis matrimonii vinculis: ut distinguatur ab eâ se-
paratione, quâ conjuges corporibus quidem vel ad tempus
vel in perpetuum sunt distincti, fœdus tamen & vinculum
conjugale firmum manet: utpote, si maritus volente uxore,
ipsâ relictâ, castra sequatur. Vel si saltem quoad thorum &
men-

mensam à viro suo divisa sit, cujusmodi separationes viduitatem non inducunt. Captivitate & aliâ servitute olim quidē matrimonia penitus dissoluta sunt: nec jus postliminii hic locū habuit *l. 8. l. 14. §. 1. de capt. & postlim.* nisi mulier voluerit, & alteri nondum nupta. *d. l. 8. cui non obstat l. 6. ff. de divort.* Dn. Strauch. *Dissert. ad π. 2. apb. 28.* Hoc tamen correctum per *l. 24. C. de donat. int. vir. & ux. Nov. 22. c. 8. & 13. Wefenb. in parat. ff. de divort. num. 4.* Deniq; nec relegatione, nec banno durch die Acht / dissolvitur matrimoniū; Est quidē aliquis, qui statuit, bannitū pro mortuo haberi, adeoq; non posse non ejus matrimoniū rumpi, non tamē uti addit, ratione originis & naturalis appetitus, sed civilium requisitorum & effectuum, uxoremq; ejus arbitrio judicis secunda vota inire posse, & tale ponit argumentum. Ubiounque tollitur conjugii essentialis & finis tum primarius tum secundarius, ibi revera dissolvitur matrimonium, ita ut etiam arbitrio judicis parti innocenti ad secunda vota transire liceat: atqui si in bannum Imp: declaratur conjux, tollitur, &c. E. Min. prob. (1) ratione essentialis, quod bannum faciat cessare affectionem maritalem: (2) quoad finem: quod ibi nulla conjunctio corporum nec communicatio operarum laborumque locum habeat: verum enimvero probationē hanc minoris insufficientem esse arbitror, nec puto hanc sententiam, ut ut horrendam, facere cessare affectionem maritalem, aut certe non debere. Quid enim tam humanum est, inquit Ulp. *in l. 22. §. 7. sol. matrim.* quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse: deinde nec conjunctio corporum, neque etiam communicatio laborum operarumque tollitur, cum mulier maritum bannitum sequi possit, imo secundum quosdam teneatur: quod etiam juri divino consentaneum est; sic uxor Caini post fratricidium



dium commissum maritum secuta est & ferre coacta fuit partem calamitatum mariti. D. Luth. *in comment. ad. c. 4. Genes.* item testatur etiam Joseph *l. 1. antiq. c. 4.* Ampliatur hoc, etiamsi pro crimine læsæ Majestatis bannitus sit, uti statuit Georg. Mund. *vol. 2. cons. 8. n. 140.* Et licet hodie ad sequendum conjugem quidem moneri, non vero compelli debeat uxor, uti in Scabinatu Jenensi iudicatur refert Nevvenh. *tr. de iur. Vid. m. 1. sect. 6. l. E.* ad secundas tamen nuptias, quamdiu bannitus superest, aspirare non potest, nisi iusta causa, quæ alias matrimonium dirimit, inter venerit. Per verba *matrimonii rite contracti*: excluduntur (1) virgines, arbitrio tamen iudicis his tanquam personis miserabilibus jura ac Privilegia Viduitatis applicari possunt. Perez. *ad tit. C. quand. Imp. int. pup. & vid. n. 3.* Huc referri possunt etiam per vim vitiatæ: quippe, cum pudicitia violenter eripi non possit, pro virginibus sunt habendæ *c. quod autem. c. tolerabilius. c. Revera. 32. q. 5.* ita ut nec ferto seu virginitatis coronâ depositâ peplum capiti imponere cogi possit. Berlich. *p. 5. conclus. 41. n. 67.* Diff. Carpz. *de iur. fam. sing. dec. 1. pos. 10.* (2) Meretrices & stupratæ, quamvis Pontificii Interpretes & has Viduarum juribus æquitate dignas asserant. Nevvenh. *d. l. l. F.* (3) Concubina: quia concubina tus matrimonium non est. C. J. A. *de concub. th. 1.* & iure divino, nec non constitutionibus nostri Imperii illicitus. Recess. Imp. *de anno 1530 & 1548.* & Ord. Polit. *tit. 26.* Magnif. Dni. Hahn Præceptor & Fautor meus aternùm venerandus, in Observ. ad Wesenb. *tit. de Concub. in fine.* (4) Ex incestis & illegitimis nuptiis extrusæ, quia tale matrimonium nullum est §. *pen. 1. de nupt. l. 6. (de incest. & inutil. nupt.)* Porro additur in definitione, & *consummati*: ut excludatur ea, quæ concubitu nondum subsecuto, à marito separata est, licet nuptiarum festivitas, & be

& benedictio sacerdotalis intervenerit: neque obstat, quod
 sponsalia de presenti in quibusdam benignâ interpretatio-
 ne habeantur pro ipso matrimonio: secus enim est in iis, u-
 bi consensio thori conjugalis pro formâ substantiali requi-
 ritur, uti hoc casu definit Reformatio Francofurtensis ad
 Mænum p. 2. t. 3. §. 5. *ibi*: Wir setzen und ordnen Auch/
 das alle Pacta und Bedinge der Heyrathsbrieffe/anders nicht
 vor kräftig gehalten werden sollen / es seyen denn beyde Ehes-
 gemahl Christlicher Ordnung nach öffentlich zur Kirchen-
 gangen / Ehelichen beygelegt / darauff einander Bey-
 wohnung gethan / und also rechte Eheleute worden: Dero-
 wegen ob gleich der Bräutigam oder Braut nach voll-
 brachtem Kirchgang (doch vor dem ehelichen Beylager) To-
 des verschieden / das es doch vor keine vollkommene Ehe
 (so die Erbschafft und andere gewinne belanget) solle gehal-
 ten werden. Add. l. 32. §. pen. de donat: int. V. & U. Wis-
 senb. p. 1. disp. 44. th. 2. & hocusque adeo verum esse tra-
 dit Nevenh: d. tr. memb. 1 sect. 6. l. 1. ut etiam adhuc
 habitu virginali incedere possit. Illa tamen consumma-
 tio honestè fieri debet, sc. post benedictionem sacerdo-
 lem; si enim præpostero ac inverso ordine statim post de-
 sponsationem, non expectatâ Ecclesiasticâ copulatione
 coierint, & sponsus ante diem nuptiis solennibus destina-
 tum præmoriatur: sponsa eius gravida Juribus viduita-
 tis gaudere non debet. Berlich. part. 3. conclus: 25. n. 37.
 Denique dicitur, *citra ipsius* (sc: uxoris) *culpam*. Si enim
 ipsa causam divortii dederit, iura ac privilegia viduitatis ad
 eas non pertinent: cum nemo ex delicto suo lucrum cap-
 tare debeat. l. fin. C. de reb. cred. l. 7. in fin. C. de nat. lib.

VI. Nunc ad divisionem progrediendum esset, cum
 vero diversa species viduarum non dentur, à modo consti-
 tutionis cas saltim distinguemus.

VII. Constituitur autem vidua vel casu vel culpa.

IIX.

IX. *Casu*: si maritus morte naturali decedat: morte civili olim etiam matrimonium diremptum est: quod tamen à Iustiniano sublatum, uti iam antea dictum: Pontificii somniant etiam mortem spirituales, quæ contingat, per ingressum in religionem seu Monasterium, per quam coniugium ratum in totum, consummatum vero saltem quoad thorum & mensam solvi dicunt: Utrumque falsissimum esse contra Bellarm. *in lib. de Monach c. 38.* ostendit Dn. Gerhard: *tom. 7. loc. Theol. §. 669.* Et si quis eorum assertioni assentire vellet, tamen neutro modo vidua proprie constituitur, uti ex præced. constat. Casus inutilitatis huc etiam non spectat: aut enim præcessit matrimonium, quo casu non tam dissolvitur, quam ab initio non constituisse declaratur: aut vero subsequitur, & divortium non admittitur. De lepra, epilepsia, furore aliove vitio incurabili idem statuendum. Beust: *de matrim. p. 2. c. 11. 12. & 14.* Wissenb. *p. 1. disp. 48. th. 15.*

IX. *Culpa mariti* vidua constituitur secundum ius Civile quidem variis modis. *l. 8. C. de repud. Nov. 117. c. 9.* Hodie tamen in Ecclesiis reformatis causæ divortii ex solo iure divino æstimantur. Schnob. *disp. 14. th. 27.* quod duas tantum admittit. (1) Si maritus adulterium commiserit *Math. 5. v. 32. & c. 19. v. 9.* Tunc enim uxori ex hac causâ divortium facere licet. *l. 13. §. 5. ad L. jul. de adult. d. Nov. 117. c. 9.* Dn. Gerh. *tom 7. loc. Theol. §. 618.* & secunda vota inire potest *l. 8. §. 4. C. de repud.* Wesenb: *tit. de divort. n. 11. B.* Dn. Luth. *tom 5. Ienens. Germ. p. 2. de. caus. matrim. p. 254.* licet iure Civili criminaliter eum accusare non possit, *l. 1. C. ad L. jul. de adult:* quod tamen hodie concessum *P. H. S. c. 120.* Beust *de matrim. p. 2. c. 23.* Et nihil interest sive cum soluta sive cum ligata delictum istud perpetratum sit *d. c. 120. P. H. S. Dn. Gerh. l. cit. §. 611.*
Haic

Huic delicto etiam comparatur Sodomia; quippe, quo delicto eodem modo fides conjugalis violatur. Dn. Struv. Præceptor olim atque Patronus colendissimus *Ex. 30. thes. 41.*
(2) Si maritus malitiosè eam deserat, *1. Cor. 15.* tunc enim post exactum certum annorum numerum, peractumque e-dictorum, citationum, denuntiationumque ordinem, ad petitionem mulieris, si non revertatur maritus, divortium autoritate magistratus conceditur. Beust, *de matr. p. 2. c. 27.*
Wissenb. *p. 1. disp. 48. th. 14.*

X. Plures etiam modi ab aliis recensentur, quales sunt: *insidia, debiti conjugalis denegatio &c.* sed cum hi in sacris literis non inveniuntur, eos meritò rejicimus, & prudenti judici committimus, qui hic suas partes interponere debet. Dn. Luth. *tom. 5. Ien. Germ. p. 2. de caus. matrim. p. 255.* Et tantùm de primo membro,

MEMBR. II.

Sequuntur nunc ipsa Jura ac Privilegia Viduarum consideranda; quæ concernunt (1) Statum & conditionem earum, (2) Fori competentiam (3) Dotis repetitionem & lucra nuptialia (4) Successionem, & (5) Obligationem. Quæ nunc ordine videbimus. Esto igitur.

SECTIO I.

DE STATU ET CONDITIONE VIDUARUM.

I. Status personarum est triplex: *Libertatis, Civitatis, & Familiae.* Statum *Libertatis* seponimus, cum distinctio hominum in liberos & servos in orbe Christiano sit sublata. *Civitatem*, seu jus civitatis maritalis vidua retinet. Tiraq. *de Nobil. c. 18. n. 6.* Sed cum hic status ad jus publicum spectet, Dn. Strauch. *diff. 2. aph. 1.* brevitas ergo ijs, quibus

B

quibus jus publicum tractare in animo est, hujus considerationem relinquimus : de statu vero *Familie*, ratione cuius dividuntur homines *in sui vel alieni juris*, quaedam notanda sunt.

II. Cum igitur notissimi juris sit, hodie consuetudine ubi vis fere locorum inductum esse, quod filia viro nubens (secus ac iure Civili *l. 20. ad L. iul. de adult. l. 1. §. 1. de agn. & al. lib.*) exeat è potestate patris, transeatque in tutelam maritalem. Treutl. *vol. 1. disp. 2. th. 12. lit. E.* Carpz. *de iur. fam. sing. dec. 1. pos. 2. n. 4.* Quæ: An vidua facta recidat in patriam potestatem? Et resp. quod non. *per l. 12. de adopt. l. 5. C. de sent. poss. Wesenb. parat. ff. de his qui sui vel al. iur. n. 8. in fin. Wissenb. p. 1. disp. 4. th. 30. Berlich. p. 3. concl. 11. n. 52. Tiraq. de LL. connub. gloss. 3. Dn. Richter. Præceptor olim meus honoratissimus vol. 1. dec. 8. n. 1.* Sed sui juris efficitur, retinetque familiam amissi mariti. Tiraq. *de Nob. c. 18. n. 6.* Non tamen dominium in eam nec patriam potestatem in liberos sibi arrogabit, sed si paterfam. moritur, quotquot ei capita subjecti fuerint, sui juris efficiuntur, & singuli propriam familiam habere incipiunt. *l. 195. §. 3. de V. S.* Jus tamen parentum commune habet. Hinc reverentia, alimenta &c. ipsi debentur. Sutholt. *diff. 2. aph. 6.*

III. Quoniam autem naturales liberos in sua potestate non habet, ne per obliquum concedi videatur, quod directe prohibetur. Gail. *2. obs. 39. n. 10. & obs. 115. n. 4.* nec adoptio ei permittitur. *§. 10. I. de adopt. l. 29. §. pen. de inoff. test.* nisi ex indulgentia Principis in solatium liberorum amissorum. *l. 5. C. de adopt. d. §. 10. ibiq. Vinn. ad hunc effectum, ut consequatur filium, non autem filiumfam. d. l. 5. Locam. add. §. 10. & solummodò jus succedendi ab intestato conferat. Dn. Strauch. diff. 4. aph. 16. add. Magn. Dn. Hahn in obs. ad VVes. de adopt. p. 187.*

IV.

IV. Huic adoptioni similis est moribus recepta Unio-
prolium: de quâ sciendum est, quod vidua ad secundas pro-
perans nuptias hanc unionem quidem facere possit, autori-
tate tamen Magistratus loci ordinarii & iudicis competen-
tis, exactâ causâ cognitione & publicâ insinuatione inter-
veniente, præsentibus & consentientibus ipsis liberis uni-
endis, aut eorum nomine tutoribus vel curatoribus & con-
sanguineis, qui provideant, ne res ad concordiaë vinculum
comparata discordias inter liberos excitet in nimiâ faculta-
tum inæqualitate. Gail. 2. *obs.* 125. Treutl. *vol. 1. disp. 2. th.*
11. Vinn. *ad rubr. 1. de adopt. in fin.* vide Rick. *sing. tr. de*
un. prol.

V. Cum etiam cura atque tutela affinitatem habeat
cum jure personarum, uti hoc demonstrat Dn. Hahn *in obs.*
ad Vves. parat. de tut. p. 291. non abs re erit, paucula hîc de
tutela viduarum subicere.

VI. Jure Civili mulier sui iuris & maiorennis indi-
stinctè res suas alienare & propriam causam in iudicio age-
re potest. *l. 1. §. 4. de postul.* neque ullius curatoris autori-
tate opus habet. Secus autem se res habet in foro Saxonico,
ubi mulieres in iudiciis legitimâ personâ standi non habent
absq; curatoribus, & sine iis aliquid immobile alienare, sese
obligare, vel aliàs contrahere prohibentur. *text. express. in*
Novell. Elect. Augusti p. 2. constit. 15. ibique commentatores.

VII. Ad hoc igitur mulieribus associari debet cura-
tor, ein *Kriegslicher Vormund* / etiam viduis liberorum suo-
rum tutelam gerentibus. Lang. *tr. de Except. p. 2. c. 8. n. 96.*
Quin ipsis etiam invitis & reluctantibus ex officio magistra-
tus seu iudex curatorem ad litem dare potest, etiamsi desus-
per non fuerit imploratus *d. const. El. 15 §. Derowegen dent*
&c. Joach. Wibel. *tr. de contr. mul. c. 3. §. 8. n. 89.*

II X. A quo iudice autem talis curator dari debeat, talis distinctio est adhibenda: aut enim ad unam duntaxat causam seu litem est dandus, & tunc ab eo iudice dari debet, ad quem illius causæ, litis & negotii cognitio spectat *l. ult. §. 1. C. de adm. tut.* Aut curator mulieri petitur dari generaliter ad omnes & quascunque causas, lites & controversias, tam præsentis, quam futuras; & tunc ab eo iudice dandus erit, cuius jurisdictioni mulier est subiecta. Et curator ita generaliter datus, non solum lites & causas, quæ sunt intra provinciam, sed etiam quæ sunt extra eam tractare potest. *Myns. 1. of. 87. Zang. tr. de except. p. 2. c. 8. n. 20. Berlich. p. 2. concl. 18. n. 3. & 4. Joach. Wibel. d. tr. n. 92. & 95.*

IX. Datur ad hoc, ut mulieribus seu viduis contrahentibus auctoritatem præstet, & contractibus earum robur aliquod accedat: Si enim non adhibito curatore in contrahendo læsæ fuerint, contractus iste ipso jure nullus est. *Dan. Möll. ad d. const. El. 15. n. 82. Coler. p. 1. decis. 67. n. 21.* Nec opus est ut in iudicio rescindatur, *Carpzov. de I. F. S. dec. 3. pos. 2. n. 4.* adeò ut si quid ex errore solverint, istud tanquam indebitè solutum repetere possint, *Berlich. p. 2. concl. 17. n. 114.* Naturaliter tamen obligantur ex contractibus sine curatoribus initis propter consensum, qui licet nudus, naturalem tamen obligationem parit *l. 95. §. 4. de solut.* Neque huic obstat, quod dicimus, ipsis competere conditionem indebiti ejus, quod ex errore solverint, quæ aliàs denegatur illi, qui naturaliter debet. *l. 10. de oblig. & act. l. 16. §. 4. de fidei.* Siquidem Jus Saxonicum & hunc effectum huic obligationi naturali adimere, & mulieres omnino indemnes præstare voluit. *d. const. Elect. 15. Carpzov. d. tr. pos. 2. n. 9.* Deinde pertinet quidem dicta prohibitio ad omnis generis contractus, non tamen ad omnia bono-

bonorum genera : cessat enim in mobilibus, quippe in quibus non tantum est deceptionis periculum, & verbis expressis ea excepta sunt *in prad. const. Elect. circa fin. vers. mit Jh^rer fahrenden Haabe. zuthuen. Carpzov. d. tr. dec. 3. pos. 4. n. 12.*

X. Quoniam etiam in iudicio quasi contrahimus, *l. 3. §. 11. de pecul.* & mulieres non minus actiones exercendo, quam res suas alienando patrimonium diminueri possint, ideo Jure Saxonico ne quidem in propria causa legitimam personam standi in iudicio sine curatore habent, sive actrices sive reæ sint, *Wibel. d. l. n. 21. & 30. Treutl. vol. 1. disp. 9. th. 4. lit. C.* adeoque immunes sunt à judiciali citatione, & nomine harum citandi sunt earum constituti curatores, *Dn. Hahn in obs. ad VVes. parat. de in ius voc n. 5. Wibel. d. l. n. 148.* Hoc ipso tamen non præcluditur iis omnis facultas una cum curatore comparendi & loquendi in iudicio; quippe præsentia earum nullibi prohibita, quin interdum necessaria. *Carpzov. sapient. laud. tr. dec. 9. pos. 4.* Excipiuntur etiam causæ matrimoniales, in quibus viduæ sine curatore stare valent, *Köpp. l. 1. obs. 24. n. 2 & 3.* cum in his simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicii procedatur. *Clem. ult. de iud. Beauf. de connub. p. 1. c. 22.*

XI. Dari autem potest mulieribus seu viduis curator quilibet, cuiuscunque sit dignitatis & status. *arg. l. 20. de test. tut.* non tamen invitus. *arg. l. 3. §. 3. de tut. l. 2. §. 3. de cur. bon. dand.* nisi necessitas aut alia iusta causa adsit, ob quam cogi possit. *Wib. d. l. n. 88.*

XII. Caterum obtinent ea, quæ de tutela viduarum hætenus differuimus, non solum in iis locis, in quibus Jus Saxonicum receptum, sed etiam plurimis in locis aliis prædicta constitutio consuetudine aut statuto introducta est. *Wibel. d. l. n. 7. Dn. Hahn obs. ad VVes. paratit. de post. n. 4.*

XIII. Non solum quoad personæ, uti in prioribus dictum, sed etiam quoad dignitatis statum *l. 1. §. 1. & 2. de extraord. cogn. C. J. A. tit. de stat. hom. th. 6. uxor maritum suum sequitur. l. 8. de Senat. l. 13. C. de dign. l. ult. C. de incol. quin etiã dedecoris maritalis maculã quodammodò aspergitur. Tiraq. de LL. connub. l. 1. n. 18. quem statũ vidua, dum talis est, retinet, quia fictione quadam juris matrimonium adhuc stare censetur. Perez. ad tit. C. de dign. n. 55. Hinc plebeia, quæ Nobili nupta fuit, nobilitatis conjugalis particeps manet. Tiraq. de Nob. c. 18. n. 5. & si virgo Nobilis viro ignobili copulata fuerit, nobilitatem, quam ex paterno sanguine habet, perdit, nec soluto matrimonio restituitur. *l. 1. C. de dign. l. 8. de Senat.* Tiraq. *d. l. n. 38.* adeoque hæc vidua obnoxia est vectigalibus & oneribus, quæ solis ignobilibus imperantur. Perez. *d. l. n. 57.* De Jure Saxo^{nico} autem vidua à jure mariti liberatur, & in statum, quem ante matrimonium habuit reponitur. Land R. *l. 1. art. 45. vers. Und nach des Mannes Tode* & Carpzov. *d. tr. de iur. fam. sing. dec. 1. pos. 5. n. 11.**

XIV. Speciale vero est in Regina, Ducissa, Comitissa & aliis Illustribus mulieribus, quod eorum nobilitas non obscuretur, si ignobilibus maritis nubant, sed mariti earum Nobiles efficiantur & coruscent quodammodo radiis uxorum. Perez. *ad d. tit. C. de dign. n. 50. & seqq.* Tiraq. *de nobil. c. 18. n. 39. & seqq.*

XV. Non autem in dignitate hoc assertum subsistit, sed & per consequentiam immunitates, jura ac privilegia, quæ ratione dignitatis, non vero ratione officii & professionis maritis concessa erant, in viduitate firmat & conservat. *l. 3. pr. C. de priv. Schol. Carpzov. d. tr. dec. 1. pos. 5. n. 8. & seqq.* Steph. *de iurisd. lib. 3. p. 1. c. 19. n. 27.*

XVI. Viduæ etiam artificum possunt artificium per
idone.

idoneos servos exercere, etiam in iis artificiis, in quibus nullus nisi probatus & juratus admittitur. Steph. *d. tr. l. 1. c. 14. n. 17.* Perez. *in C. 111. de murileg. & Gynac. n. 5.* Hinc nec defunctorum Ecclesiæ ministrorum viduis invidendum est jus singulare, ubi hoc lege vel consuetudine introductum, ut in parochiis retineantur & ambienti parochiam vacantem non aliter pateat aditus, quam si antecessoris defuncti viduam vel eius filiam in uxorem duxerit, si ius hoc restringatur ad certas condiciones, nim. (1) ut vocatus ad ministerium sit habilis (2) inque eum consentiat Ecclesia, ne libero privetur suffragio: (3) ut viduæ ac filia defuncti antecessoris liber relinquantur consensus ad matrimonium contrahendum (4) idque etiam successor suo approbet voto. Quis enim dubitaret, hunc, qui opus sane pium & Christianum facit, potius admittendum quam alium? Carpov. *d. tr. dec. I. pos. 9. conf.* Steph. *cit. loc. n. 26.*

SECTIO II.

DE FORO COMPETENTE

VIDUARUM.

I. Sequitur vidua domicilium amissi conjugis ibidemque forum sortitur, *l. ult. C. de mot. l. 22. §. 1. ad Municip. l. 12. C. de dign.* nec in loco originis actori respondere cogitur, & ab instantia iudicii absolvitur, Zang. *tr. de except. p. 2. c. I. n. 67.* & si is plura habuerit domicilia, in his omnibus poterit conveniri, nisi unum eligat ibique cum familiâ habiter, veluti quo dotalitium constitutum habet. Dn. Struv. *Ex. p. th. 28.*

II. Privilegium tamen aliquod viduis Imp. Constantinus indulsit, ut liceret his ordinarium iudicem declinare & ad Tribunal Cæsaris provocare. *lun. quand. Imp. inter pup. & vid. vel. al. mis. pers. cogn.*

III Ob.

III. Obtinet hoc privilegium contra quemvis iudicem etiam Feudalem *per c. 15. X. de foro comp.* Nevenhan. *de iure viduit. membr. 3. sect. 3. l. D.* & non solum si conveniantur, sed etiam quando agunt, aliosque eò evocare possunt, ipsæ tamen iure non evocantur. *d. l. un.*

IV. Justinianus autem privilegium illud de non evocando omnibus generaliter concessit. *Nov. 86.* & si hodiernum statum Imperii nostri inspexerimus, nullum aut certe minimum usum habet, cum Principes & Status Imperii hodie non ut magistratus, sed ut domini territorii & provinciis suis præsent, & vi pacti specialis, quo Imperator Status se obstrinxit, controversiam aliquam extra status seu provinciæ territorium ad se suamque curiam evocare non possit. Unde ipsi met status & Principes Imperii in causis viduarum cognoscunt, nec intermedio iudice omisso viduis decernitur processus in Camera, nisi in casu denegatæ & protractæ iustitiæ *Gail. 1. obs. 1. n. 40. Vult. in d. l. un. n. 20. Steph. de jurid. lib. I. c. 31. n. 21. & seqq.* Intuitu autem huius Imperatorii Privilegii hoc viduis in foro Saxonico concessum esse, ut causam, inferiori iudice prætermisso statim ad Principem suum, extra casum etiam denegatæ & protractæ iustitiæ devolvere possint, statuit Nevenhan. *d. rr. membr. 3. sect. 5. lit. D.* Nihil etiam obstat, quominus Status Imperii qui iure de non appellando & non evocando destituuntur, prædictam Imp. Constantini sanctionem in suis terris in usum revocare possint. uti tradit Hillig. *ad Donell. l. 17. c. 20. lit. D.*

SECTIO III.

DE DOTIS REPETITIONE ET LUCRIS NUPTIALIBUS.

I. Dos est accessio quædam nuptiarum, *l. fin. C. de don. aut nupt.* ad onera matrimonii facilius sustinenda inventa
venta

venta, l. 20. C. de jur. dot. & quò commodius mulier virum
reperiat, cum propter dotem nubere possit, l. 2. de iur. dot.
Præsertim hac nostrâ ætate, quâ nolunt carnem sine condi-
mento, & in deliberationibus de contrahendo matrimo-
nio, prima omnium de quantitate dotis, ultima de moribus
quæstio esse solet.

II. Soluta autem, culpâ vel morte mariti matrimo-
nio, cum ejus onera tunc quoque cessent, dos ipso jure redit
ad viduam. l. 30. C. de iure dot. Dn. Struv. Ex. 30. th. 47.
nisi pactis dotalibus aliter conventum fuerit, vel statutum
sive consuetudo loci, ubi maritus domicilium habet, con-
traria sit. Non tamen propriâ autoritate rei dotalis pos-
sionem ingredi debet, l. 9. C. sol. matr. arg. l. 176. de R. I. a-
liàs enim incideret in pœnam l. 13. quod met. caus. & l. 7.
C. Unde vi.

III. Circa dotis rēpetitionem autem notandum est,
quod dos, quæ ab alio, quam uxore datur, sit, vel *Profectitia*
vel *adventitia*: *Profectitia* est, quæ à patre mulieris ac alio
in linea paterna ascendente, licet mulierem in potestate non
habeat, profecta est, l. 5. pr. §. 11. de iur. dot: vel quæ extrane-
us intuitu patris ex suis bonis dedit, d. l. pr. §. 2. *Adventitia*
est, quæ à matre mulieris vel avo materno, aut à quovis alio
data est. l. un. §. 11. C. de R. V. A. l. 6. C. de iur. dot. Wissenb.
eod. tit. th. 6. Boc. 11. de don. n. 34. & seqq.

IV. *Profectitiam* igitur dotem pater consentiente filiâ
repetit, l. 2. §. 1. sol. matr. Si vero pater mortuus vel aliàs
filia patria potestate soluta fuerit, ipsa sola hanc dotem re-
petit, l. 71. de evict. l. 34. l. 44. sol. matr. aut ejus hæredes,
l. un. §. 6. & 14. de R. V. A. *Adventitiam* vero, si is, qui eam
dederit, expressè stipulatus non fuerit, nec pacto sibi cave-
rit, ut soluto matrimonio ipsi reddatur, vidua emancipata
sola repetit, d. l. un. §. 13. l. 9. C. de pact. conv. uti & eam,
C quam

quam mulier ipsa dederit, *l. 2. pr. sol. matr.* In sacris vero paternis constituta, consensum parentis adhibere debet *l. 34. §. 5. de Leg. II. l. 14. ad L. Falcid. l. 34. §. 6. de solut.*
V. Repetitur autem dos, uti dictum, soluto matrimonio. Constante enim eo repeti non potest, nisi maritus vergat ad inopiam, *l. 24. sol. matr. l. 29. l. 30. C. de. jure dot.* aut ob nimiam sævitiā fiat separatio mensæ & thori, vid. Hillig. *in Donell. enucl. l. 14. c. 5. lit. A.* Præter hos casus nec volens volenti rectè solvit, quia repræsentatio dotis est species donationis, *l. un. C. si dos const. matr. sol. fuer. Nov. 22. c. 30.* quæ inter conjuges prohibita; & si consumserit uxorem, denuo restituere cogitur maritus, nisi ex justis causis reddiderit, quando sc: adesturgens necessitas, vel evidens uxoris utilitas, vel si pia causa occurrat, *l. 73. §. 1. l. ult. de iur. dot. l. 20. & seq. sol. matr. Perez. ad tit. C. Si dos const. matr. sol fuerit:* Et quidem si in re immobili consistat, statim, *d. l. un. §. 7. C. de R. V. A. i. e. post decendium, auth. sed neq. C. de sep. viol.* res mobiles vero intra annum restitui debent, *d. §. 7.* quo temporis intervallo vidua ab hæredibus mariti alenda est, si aliunde se exhibere nequeat, Wesenb. *parat. ff. sol. matr. n. 6.* quibus interea pro hoc onere dotis fructus relinquuntur. Nevvenh. *d. tr. de iur. viduit. membr. 3. sect. 1. l. C. p. 68.*

VI. Ut igitur dos hisce casibus restituatur præter vindicationem, quæ positis terminis habilibus competit juxta *l. 29. & 30. C. de iur dot.* Treutl. *vol. 2. disp. 7. th. 10. l. B. vid. Dn Struv. Ex 30. th. 48.* data est à Justiniano vel mulieri vel patri vel etiam hæredibus eius contra maritum aut parentem eius *l. 15. l. 16. sol. matr.* actio ex stipulatu, ei que tria præcipuè assignavit privilegia, sc: (1) Ut sit b. f. *l. un. §. 2. C. de R. V. A. §. 29. I. de Action.* (2) Ut fingatur intervenisse stipulatio, licet non intervenerit, vel inutilis fuerit.

fuerit. *d. l. §. 1. & 13. (3)* Ut mulier habeat jus hypothecæ in bonis mariti statim à die consummati matrimonii, *d. l. §. 1.* licet dos post nuptias demum fuerit numerata, *l. 1. qui pot. in pign. Dn. Hahn. obs. ad VVes. parat. ff. solut. matrim. n. 4. Dn. Struv. d. l.*

VII. Præterea habet vidua in dote jus prælationis & præfertur omnibus aliis creditoribus etiam expressam anteriorem hypothecam habentibus, *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. l. 30. C. de iur. dot. Nov. 97. c. 4. Nov. 109. c. 1. Mynsing. 4. obs. 13.* etiamsi dos dissipata, nec in rem mariti versa sit *Carpz. de I. F. S. dec. 5. pos. 6. n. 3.* adeoque ipsi etiam novercæ, *Nov. 91. pr. & c. 1.* & non solum in dote, sed & in dotis augmento idem privilegium obtinet, *Nov. 97. c. 3.* non tamen à tempore matrimonii contracti, sed à die augmenti facti, *l. 10. C. de donat. ant. nupt.* Excipitur tamen fiscus, cui quoad tributa & collectas ordinarias, ut & annuam publicam mulier postponitur. *l. 3. l. 4. C. de primipil. l. 1. l. 2. C. Si propt. publ. pens. l. 1. l. 4. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contr.* quibus quoque comparantur decimæ, census & aliæ pensiones, quæ Ecclesiæ pastoribus, custodibus, ædituis & aliis piis causis quotannis debentur, *Berlich. p. 1. concl. 64. n. 108.* Deinde etiam ille, qui ad militiam emendam credidit secundum formam præscriptam in *Nov. 97. c. 4. Dn. Struv. Ex 26. th. 25.*

VIII. Ut verò vidua hoc iure fruatur, debet dos illata esse, *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.* quæ illatio, quia facti, à muliere probari debet, nec sufficit confessio mariti, vel cautio de solutione dotis: talis enim confessio ipsi quidem marito ejusque hæredibus, non tamen tertio præiudicat, *Gail. 2. obs. 81. n. 2. Myns. 1. obs. 61. Tiraq. de retract. conv. §. 4. gloss. 6. n. 14. Treutl. vol. 2. disp. 24. th. ult. l. C. etiamsi fuerit jurata Nevvenh. tr. de iur. viduit membr. 3. sect. 2. l. E. Sufficit*

ficat tamen, si per conjecturas saltem suspicio falsitatis fuerit sublata, veluti si unicus testis fide dignus confessionem mariti firmet, Carpzov, *d. tr. de 1. F. S. dec. 5. pos. 6. n. 17. & seqq.*

IX. Cessat tamen dictum privilegium prælationis si mulier huic renuncia verit. Licet enim uxor non repetitioni dotis, *per l. 2. de pact. dot. l. 1. §. 11. de dot. præleg.*: omni tamen ejus privilegio renunciare potest. *l. 11. li. 21. C. ad SC. Vellei. Lang, tr. de Except. p. 3. c. 11. n. 41. & seqq. Berlich. p. 2. concl. 20. per tot.* Ratio est in *l. 8. pr. ad SC. Vellei.* quia redditio seu remissio pignoris non est intercessio: vel si sciens volensque viro prodigaliter viventi vel antea obærato nupserit, *Berlich. p. 1. concl. 65. n. 81. Gail. 2. obs. 84. n. 8.* nec datur etiam hæredibus, *l. un. C. de priv. dot.* quia privilegium istud prælationis est personale, *l. 7. de iur. dot.* quod personam non egreditur, *l. 1. §. 2. de constit. Princ. exceptis tamen filiis ejusdem matrimonii, à quo dos profiscitur, qui hoc sibi nõ jure hæreditario, sed filiationis arrogant. Nov. 91. pr. & c. 1.* Unde ad collaterales & ascendentes illud non pertinet, *per d. Nov. 91. pr. & d. l. un. C. de priv. dot.* Jus autem tacitæ hypothecæ, quod reale est & semper bonis inhæret, ad quosvis hæredes transit. *Schneidvvin. ad §. 29. l. de act. n. 49. Carpzov. d. tr. dec. 5. pos. 5. plures limitationes videri possunt apud Berlich. d. l. n. 41. & seqq.* Jure Saxon: potior est causa hypothecarii expressi, quam mulieris, quin idem in multis aliis locis est receptum: Durum etenim esse putant alicui id, quod sibi opera & cautione acquisivit, auferre. *Carpzov. d. tr. dec. 5. pos. 4. n. 21.* & ab hac opinione suo tempore nunquam recessum esse in Camera Imperiali testatur *Gail. 2. obs. 25. n. 10.* Quanquam contrarium judicium Camera afferat. *Myns: 4. obs. 13.*

X. Quoad fructus dotis & damnorum præstationem
distinguitur

distinguendum inter res æstimatò & inæstimatò datas: Si enim æstimatò quasi venditionis non nudæ taxationis gratia in dotem datae sunt, non res ipsæ, sed earum æstimatio hac actione peti debet, *l. 10. pr. de iur. dot.* & harum rerum omne periculum & detrimentum, etiam quod usu ipsius uxoris accidit, maritus præstare debet, *l. 51. sol. matr.* Dos vero inæstimata, si extat, in specie restitui debet cum omni causâ, quod non tantùm de eadem quantitate, modo necessariis impensis ipso iure non fuerit imminuta, *l. 4. de dot. preleg. l. un. §. 5. C. de R. V. A.* sed vel maxime de eadem qualitate intelligendum, & omne damnum dolo, culpâ latâ & levi dori datum maritus præstat, *l. 17. pr. de iur. dot. l. 28. §. 1. l. 25. §. 1. sol. matr.* Nisi mulier in dote recipiendâ moram fecerit, tunc enim maritus solum dolum præstat, *l. 9. l. 26. sol. matr.*: reliqua damna ad viduam spectant. Exceptio est, *in l. 42. de iur. dot.* Dn. Struv. *Ex 30. th. 53.*

XI. Rei inæstimatò in dotem datae etiam fructus ante vel post matrimonium percepti restituendi sunt, *l. 5. l. 6. l. 11. l. 31. §. fin. sol. matrim.* & pro ratâ parte anni novissimi, quo matrimonium solvitur, dividuntur fructus inter maritum & viduam, *l. 78. §. 2. de iur. dot. l. 7. §. 1. d. l. 31. §. ult. sol. matr. l. un. §. 7. & 9. C. de R. V. A. vid. Dn. Struv. d. l. th. 52. & qui ab eo citantur.*

XII. In sententia tamen ferendâ observet iudex, ne maritum ultra quàm facere potest condemnet, *l. un. §. 7. C. de R. V. A. §. 37. l. de act: l. 12. sol. matrim. l. 20. de re iud. Zang. tr. de Except. p. 2. n. 17.* nisi dolo malo bonis lapsus fuerit: *d. l. un. §. 7.* idem beneficium tribuitur filiis ejusdem matrimonii, *l. 18. sol. matr.* & socero, si cum eo de restituendâ dote agatur, *l. 15. l. 16. sol. matr. l. 21. de re iud. hæredibus vero non competit, d. l. 12. sol. matr. l. 24. §. ult. l. 25. de re iud. Arum.: diss. 15. in ff. n. 20. ne nepotibus quidem Schneidvv. ad. §. 37. l. de action. n. 9.*

12 XIII. A marito quoque fieri solet donatio propter nuptias, ad affecurationem vel compensationem dotis, *l. ult. & t. t. C. de don. ant. nupt. Nov. 119. in pr. Nevvenh. de iur. viduit, m. 2. §. 6. l. F. Boc. tr. de don. c. 10. n. 6.* cuius nomen & substantia nihil distat à dote, & æquis passibus utraque ambulat, uti loquitur Justinian. *in d. l. ult.* & non solum quoad quantitatem, sed & quoad pacta in iis servanda est æqualitas, *Nov. 97. c. 1. auth. æqualitas. C. de pact. conv.* In quibusdam tamen differentia quædam adhuc superest: nam dominium hujus donationis ad uxorem non transit, uti dotis dominium ad maritum: *arg. Nov. 61. Vinn. ad §. 3. l. de donat. n. 3.* titulus enim hujus donationis non est lucrativus, sed dotis conservativus, nec fructus ad uxorem pertinent, alias dos plane esset frustranea, *Schneidvv. ad d. §. 3. l. de donat. n. 4. Boc. d. tr. c. 10. n. 18.* Si quingentos excedat solidos, desiderat insinuationem ex parte mariti, non tamen ex parte mulieris, *Nov. 127. c. 4. Locam ad. d. §. 3.* Deinde utitur quidem mulier pro consequendâ donatione propter nuptias jure tacitæ hypothecæ, non vero iure prælationis, *Mynsing. 5. obs. 4.* Hodie autem æqualitas illa dotis & donationis propter nuptias ab usu recessit, *Gail. 2. obs. 78. n. 2. & seq. Schneidvv. d. l.*

XIV. Huius donationis propter nuptias species quædam est dotalitium, *Boc. d. tr. c. 11. n. 4. Wibel. de contr. mul. c. 3. §. 2. n. 106.* quod per universam ferè Germaniam, præsertim inter Nobiles receptum est, non tamen donationi propter nuptias per omnia convenit, *Nevvenh. d. tr. m. 2. §. 6. l. B.:* hæc enim juris Civilis adinventum est, dotalitium vero est filia consuetudinis, unde quicquid dubii circa hanc materiam occurrit, potius ex moribus & consuetudine quam ex lege scriptâ decidendum est, *Carpzov. de I. F. S. dec. 5. pos. 8. n. 6.* ipsius quoq; conditio pinguior est, quâ donatio-

nationis propter nuptias, quia ex natura surrogationis omnia dotis privilegia habet, *Wes. p. 1. conf. 50. n. 27.* uti in transcurso patebit.

XV. Melioris ordinis gratia illud considerabimus (1) ut constituendum (2) ut constitutum. Constituit autem dotalitium non solum maritus, sed & pro eo quilibet hanc donationem conferre valet, *Nov. 119. pr. l. 10. C. de don. aut. nupt.* *Neyvenhan. d. tr. m. 2. f. 6. l. C. hæredes quoque mariti id præstare tenentur*, *Rotschitz. tr. von Leibgeding art. 8. n. 31.* etiamsi id in vitâ non constituerit, nec promiserit. *Wes. p. 1. conf. 26. n. 27.* *Dn. Struv. Syntag. Jur. Feud. c. 14. aph. 9. n. 1.* eodem modo tenentur successores feudales etiam invitæ viduæ in feudo dotalitium constituere, vel à marito constitutum præstare, si modo dos marito illata sit, etiamsi adsint alia bona allodialia, quæ dotalitio ad legitimum modum constituendo sufficiant, *Boc. d. tr. c. 11. n. 33.* Quæritur hic: *An vidua pro dotalitio à defuncto marito accepto, & secundo marito in dotem dato maritus ille secundus denuò dotalitium constituere necesse habeat?* Quæ in quæstione mirè variant Auctores, vid. *Hartm. Pistor. p. 1. q. 14. n. 15. & seqq.* *Boc. d. tr. c. 11. n. 37 & seqq.* *Bacchov. in not. ad Treutl. vol. 2. disp. 9. th. 7. lit. A.* *Berlich. p. 3. concl. 50. n. 48.* *Neyvenh. d. tr. m. 2. f. 9. lit. A.*

XVI. Constituitur dotalitium mulieri in compensationem dotis; unde pacto dotalitium constitui non potest, si mulier nullam dotem dederit vel promiserit, nisi consuetudo loci ejusmodi pactum admittat. *Boc. d. tr. c. 11. n. 9. & 10.* præterea mulier eodem modo, quo in concursu creditorum, quæ de re dictum. *th. 8.* probare debet dotem esse illatam & numeratam, aliàs mariti hæredes ad dotalitium constituendum non sunt obligati, *Berlich. d. concl. n. 14.* *Dn. Struv. d. l. c. 14. aph. 10.* & quod doti deest, dotalitio quoque

quoque decedere debet, Boc. *d. tr. c. 11. n. 22.* præsertim
eo casu, ubi dotalitium respectu dotis est promissum: Si ca-
nim maritus in promissione dotalitij ad dotem non respe-
xerit, non opus est dotis illatione. Rotschitz. *d. tr. c. 8. n. 32.*
feudi autem successores aliter non tenentur, nisi dos sit illa-
ta. Boc. *d. tr. c. 11. n. 25.* & in feudum versa. Carpzov. *d.*
tr. de I. F. 8. dec. 5. pos. 9. n. 15. sufficit autem dotis numera-
tæ probatio, ex quâ versio in feudum præsumenda, Dn.
Struv. *d. l. c. 14. aph. 10. n. 2.* quia mulier dotem in feu-
dum conferre creditur, & sic ius tacitum sibi quarit: impu-
tandum ergo marito, qui eam in feudi utilitatem non con-
vertit; idque procedit non solum in hæredibus mariti, ve-
rum etiam in agnatis aliisque feudi successoribus. Hartm.
Pistor. *l. 1. q. 4. n. 18.* Rotschitz. *d. tr. art. 1. n. 22. & 23.*
Quod si vero mulier certam dotem promisit, revera autem
in vitâ mariti non numeravit, post mortem vero mariti
cum debito interesse post moram eam adhuc inferre velit ad
hoc, ut dotalitium sibi constituatur, audienda erit. Berlich
d. l. n. 25. Treutl. *vol. 2. diss. 7. th. 7. lit. A.*

XVII. Constituitur dotalitium tam in allodialibus.
Rotschitz. *d. tr. art. 8. n. 1. & 25.* quam Feudalibus, potif-
simum tamen in his. Berlich. *d. l. n. 9.* Rotschitz. *d. tr. art.*
1. n. 21. & 22. idque dupliciter; vel enim redditus annuus
viduæ solvitur, vel certum feudum traditur ipsi, & ususfru-
ctus illius conceditur. Dn. Struv. *d. l. aph. 9. n. 3.*

XIIX. Quantitatem autem dotalitij certa lege defi-
niri non posse statuit Nevvenh. *d. tr. de iur. vid. m. 2. f. 9.*
l. A. sed proportionem Geometricâ commensurandam esse ad
dotem, onera matrimonialia, & conditionem mulieris vel
mariti: potest igitur, uti addit, juvenis vel literas vel egre-
gium aliquod artificium insigniter doctus, quod in ære non
habet, eruditione ac artificio suo compensare, cum pleris-
que

que, qui ex scientiæ amore pauperes de divitiis facti, in ore ac voto soleat esse: *Ein reiches Weib bringt alles nieder*; ipsemet tamen hanc sententiam restringit ad dotalitium conventionale; in consuetudinario enim secus est, quo usufructus respectu dotis duplicatus constitui solet, *Schneidvv. 1. tit. de success. qua ab int. def. rubr. de succ. iur. Sax. int. vir. & ux. n. 44. Dn. Richter. tr. de success. f. 4. m. 3. n. 2. & 36.* Ubi etiam addit, quod ob bellicas calamitates non minuatur; à quo tamen diff. *Carpzov. asyl. deb: c. 2. p. f. 41.* Pacto tamen, etiam ultra duplum constitui potest, domino feudi & agnatis feudi successoribus consentientibus. *Boc. d. tr. c. 11. n. 19. Hartm. Pistor. p. 1. lib. 1. q. 4. n. 5. & 6.* Sine horum consensu autem modum dotalitii usitatum maritus excedere non potest; & si æquò gravius feudi successoribus onus imposuerit, ad usitatum modum redigi oportet. *Dn. Struv. d. c. aph. 11. n. 2. Carpzov. d. tr. dec. 5. pos. 9. n. 9. Berlich. p. 3. concl: 50. n. 38.* Filii autem etiam in excessu quanti, & modo dotalitii inconsueti patris promissioni se subducere nequeunt; ad facti enim paterni præstationem sunt obligati. *l. 14. C. de R. V. Carpzov. d. l.*

XIX. Hastenus de modo constituendi dotalitium; sequuntur nunc constituti effectus considerandi. Dotalitio dicto modo constituto, in arbitrio viduæ erit, an dotalitium exigere, an vero dotem repetere velit. *Boc. d. tr. c. 11. n. 45. Hartm. Pistor. d. q. n. 24. & seq. Wes. vol. 1. cons. 26. n. 27.* nisi feudum in dotem datum sit, quod fieri potest, *2. feud. c. 13. & 17. Dn. Hahn. in obs. ad VVes. parat. de iur. dot. 3. ad. verb. feuda.* tunc enim dotem repetere tenetur, quia in feudo nulla conjugum successio, *1. feud. 15. Nevenh. d. tr. m. 2. f. 9. l. B.* Etiam si de dotalitio in pactis dotalibus conventum, eique hoc ab ipso marito constitutum fuerit, *Carpzov. d. tr. dec. 5. pos. 10. n. 12.* semel autem

D

optione

optione factâ, amplius pœnitere non potest. Carpzov. *d. l. n. 10.* Rotschitz *d. tr. art. 1. n. 18.* Dotalitio igitur electo dos exspirat & apud successores feudi manet, nisi forte aliter conventum. Da. Struv. *d. l. aph. 15. n. 2.* si autem dotem eligat, quod tamen non præsumitur, si in oppignerationem feudi consenserit, itidem dos allata ex feudo restituenda. Struv. *d. l. n. 3. & 4.*

XX. Constante matrimonio præter tacitam hypothecam, de quâ *vid. th. 6. in fin. & 7.* add. Rotschitz. *d. tr. art. 1. n. 5. & 6. & art. 4. n. 1.* mulier nihil juris in dotalitio habet, & maritus fructus in dotalitio crescentes ipsemet percipit & lucratur, Berlich. *d. concl. n. 51.* alienare tamen illud non potest, ne quidem consentiente muliere, Rotschitz. *d. tr. art. 1. n. 8. & art. 2. n. 3.* Wibel. *de. contr. mul. c. 3. § 2. n. 109.* nisi in alio mulieri compensatio facta, & ei aliud æquè idoneum feudum vel prædium in dotalitium constitutum fuerit. Berlich. *d. concl. n. 55.* Rotschitz. *d. tr. art. 8. n. 8.* Wibel. *d. l. n. 110.* Excipiuntur tamen quidam casus, in quibus constante matrimonio dos unâ cum dotalitio exigi potest, v. g. si maritus turpiter & prodigaliter vivere inceperit, Rotschitz. *d. tr. art. 4. n. 5.* Berlich. *d. concl. n. 52.* à morte mariti vero ipsi statim debetur, & nisi justo tempore ab hæredibus præstetur, bonis mariti defuncti abire non cogitur. *vid. quos citat Nevvenh. d. tr. m. 2. f. 9. lit. C.*

XXI. Dotalitii autem nomine competit viduæ actio innominata *dout des.* Rotschitz. *d. tr. art. 1. n. 2.* competit ipsi etiam condictio ex moribus Dn. Struv. *d. c. 14. aph. 14.* non autem propriâ autoritate illud occupare potest *vid. supra. th. 2.*

XXII. Consequitur vero mulier in dotalitio non dominium aliquod Civile, uti statuit. *Wes. p. 2. conf. 91. n. 10.* sed tantùm usumfructum, Berlich. *d. concl. n. 11. & 64.*
Wibel.

Wibel. *d. l. n. 107.* Rauchbar. *i. quest. 30. n. 1.* nisi dotalitium in bonis allodialibus fuerit constitutum, & postea liberi moriantur, tunc enim jure successionis plenam proprietatem consequitur. Berlich. *d. concl. n. 64.* Rotschitz. *d. tr. art. 4. n. 14.* Quodcunque ergo regulis ususfr. convenit, tutò etiam accommodabitur dotalitio. Carpzov. *d. tr. dec. 5. pos. 8. n. 9.* Unde vidua tenetur præstare cautionem usufructuariam, si ipsa fundo ac prædio fruatur idque administraret, Kœppen. *dec. 33. n. 12.* secus vero si hæredes illud administrarent, & viduæ certas pensiones & redditus annuos præstent. Carpzov. *d. l. n. 11.* adeoque velut fructuaria non potest proprietatem dotalitii alienare, vel obligare, nec quicquam aliud in præjudicium proprietatis agere. Rotschitz. *d. tr. art. 4. n. 8.* Morte quoque mulieris finitur Id. *art. 2. n. 1. & art. 8. n. 19.* Boc. *d. tr. c. 11. n. 43.* Schneidvv. *d. rubr. de succ. iur. Sax. int. vir & ux. n. 43.* Item onera realia, quæ dotalitio inhærent, præstare debet. Dn. Richt. *p. 2. dec. 70. n. 33.* Hinc tenetur collectas, tributa, census & alia onera præstare, etiam servitia militaria, licet non in propria personâ, collectas tamen militares præstare debet ut servitia per alium præstari possint. Berlich. *d. concl. n. 71. & 72.* Rotschitz. *d. tr. art. 8. n. 20.* æs autem alienum de eo solvere non tenetur. Rotschitz. *d. tr. art. 1. n. 7. & art. 2. n. 2.*

XXIII. Præterea lucratur vidua ex bonis mariti (1) Arrhas sponsalicias, Germ. *Handtrew. Mahlschatz* in symbolum promissi & implendi matrimonii datas. Dn. Hahr. *in obs. ad VVes. parat. de spons. n. 5.* licet enim jure Civili arrhæ post impletum contractum regulariter restitui debeant ei qui eas dedit. *l. 11. §. 6. de act. empt.* moribus tamen plerisque in locis sponsa nuptiis secutis eas retinet, uti de hac consuetudine testatur Laimann. *in. Theol. mor. l. 5. tr. 10. part. 1. c. 1. n. 8.* Idem etiam obtinet in specie de annulo

ptiali, qui in benedictione sacerdotali dari solet. *Surd. decis.*
166. *per. tot.* In hac igitur quaestione hodie primo omnium
videndum, quid inter partes actum, & si hoc non apparet,
ad consuetudinem eius regionis, in qua contractum, recur-
rendum est. Et si neque mos regionis apparet, tunc sequi-
mur jus Civile. *l. 34. de R. J.* Lauterbach. *tr. de arrha. tb.*
133. Nevvenh. *d. tr. m. 3. f. 3. l. C.*

XXIV. (2) Sponsalitiâ largitatem, quæ ab arrhis
sponsalitiis differt, quippe quæ non probationis gratiâ, sed
spe futuri matrimonii ad amorem & benevolentiam concia-
liandam donatur. Perez. *in C. tit. de donat. ant. nupt. n. 17.*
Lauterbach *d. tr. tb. 79.*

XXV. (3) Dona nuptialia, die Brauttassel gelder
pro dimidia parte, uti hoc in Electoratu Saxonico expressâ
sanctione sancitum, & secundum eam aliquoties à Dn.
Antecessoribus Facultatis Juridicæ in inclytâ nostrâ Juliâ
pronuntiatum esse testatur Dn. Hahn. *in observ. ad VVes. p.*
2. pag. 242.

XXVI. (4) Morgengabam seu Morganaticam, quâ
mane seu tempore matutino antequam ad prandium dis-
cumbat, in catenâ, torque, aut quâ simili pretiosâ re, vel certâ
pecuniæ summâ novus maritus, præsertim nobilis, novæ
conjugi in primæ noctis remunerationem & præmium in-
terfectæ virginitatis offert. Boc. *d. tr. de don. c. 9. n. 1.* Dn.
Hahn. *in obs. ad VVes. p. 2. pag. 243.* Dubitat autem Mynsing.
dec. s. Resp. 43. n. 24. an hæc donatio pro flore tantum vir-
gineo debeat, cum interdum etiam viduis hæc donatio
offeratur. Boc. *d. tr. c. 9. n. 3.* & licet Jure Civili donatio
inter conjuges sit prohibita. *l. 3. §. 10. de donat. int. V. & U.*
hæc tamen prohibitio non improbat eam, quæ honoris cau-
sa fit, qualis est morgengaba Nevvenh. *d. tr. n. 3. c. 3. l. A.*
adeo ut si vir nobilis non habens propriam catenam à foro.

re

re vel aliunde aliquam commodatō accipiat & novæ suæ conjugipro donatione morganicâ det, restitutâ sorori dictâ catenâ, æstimationem ejus à defuncti mariti hæredibus vidua petere possit. Nevvenh. *d. l. Boc. d. c. 9. n. 9.* Est & alia jure Saxonico Morgengaba ab hac planè diversa, quæ nobili marito mortuo absque donatione ad mulierem pertinet, & sub eâ comprehenduntur pecudes famellæ, vaccæ cum vitulis, capræ, sues seu schrophæ, quæ quotidie foràs ad pascua excurrunt, quibus adduntur & equæ, quæ nondum aratro aut curru junguntur, sed in campis & pratis victum quarunt. Boc. *d. tr. c. 9. n. ult.* Rotschitz. *d. tr. von Leibgeding. art. 17.* Carpzov. *de jur. fam. sing. dec. 7. pos. 1. n. 18.*

XXVII. (5) Vestimenta seu ornamenta muliebria, jocalia dicta, quæ in quibusdam locis sponsæ à socio vel sponso mittuntur, ut eò ornatio & cultior ad eum deducatur. Nevvenh. *d. tr. m. 3. s. 3. l. B.* Quid vero obtineat in iis vestimentis, quæ constante matrimonio ei donavit vid. Gail. *2. obs. 91.* (6) munera natalitia, & xenia, si sint modica, *l. 3. §. 8. de don. int. V. & Vx.* (7) Quicquid maritus ei constante matrimonio donavit, siue donatio ista per se firma fuerit, siue morte mariti confirmata. *per. l. 32. §. 2. & 3. eod.*

XXIIX. De jure Saxonico (8. & 9) accipit etiam Geradam & Cibaria, quod tamen in Illustribus Ducatibus Lüneburgico, Wolferbyitano & Calenbergico non observatur. vid. Dn. Hahn. *in obs. ad Vves. parat. p. 2. p. 256.* Quæ autem: *An in hætenus recensitis bonis mulier habeat tacitam hypothecam?* Quod rectè affirmat Nevvenh. *d. tr. m. 3. s. 3. l. D. in fin. per. l. fin. C. de pact. conv. l. 29. C. de iure dot. non tamen cum prælationis privilegio. per. l. 12. C. qui pot. in ping. Nov. 109. c. 1.*

SECT. IV.
DE SUCCESSIONE VI-
DUARUM.

I Nunc ad successionem viduarum progressum facimus; Jure Civili antiquo, cum tria illa conjugum genera, *confarreationis* sc. *coemtionis* & *usus* abrogata essent, à Romanis Legislatoribus omnis succedendi ratio viduis præcisata fuit, præterquam quod prætor æquitatis semper amans deficiente omni sanguinis lineâ, non ad decimum tantum gradum secundum quosdam, sed in infinitum per *l. un. C. und. vir. & U. Nov. 118. c. 3.* iis, fiscò exclusò, dedit bonorum possessionem, unde *vir & uxor. l. un. ff. eod.* intra centum dies utiles petendam *l. 2. C. qui adm. ad. bon. poss.* quæ successio Prætorica deinceps confirmata est per Impp. Theodos. & Valent. in *l. un. C. eod.*

II. Est & alia successio conjugum ex constitutionibus novissimis Justiniani, quâ aliquando viduæ maritis defunctis succedere possunt, etiam quando extant liberi, vel ejusdem vel diversi matrimonii, si nimirum mariti locupletres decedant, & viduæ inopia laborent, *Nov. 117. c. 5.* unde desumpta est *auth. Præterea, C. eod.*

III. Sed quamam hic pauperes dicantur contrectantur? Sunt qui extremam requirunt inopiam, & huic successioni non dari locum, nisi absque eâ viduis mendicandum foret, per *Nov. 53. c. 6. in pr.* quorum antesignanus est Joh. Vincent. Hondedeus *vol. 1. conf. 13. n. 26. & vol. 2. conf. 79.* Rectius tamen id arbitrio judicis relinquitur, arg. *l. 1. §. fin. de iur. delib.* qui inquirere debet, num dotata, an indotata sint. Si enim dotem aut donationem propter nuptias habeant, ab hac successione excluduntur, nisi forsan tam modica sit, ut inde se honestè exhibere nequeant: idem enim est

est nihil habere, & modicum habere. Berlich. p. 2. concl. 26.
n. 18.

IV. Qu. porro, (1) Si vidua divites habeat parentes, à quibus ei succurri possit, an tunc privetur hac successione? Quod æquius esse affirmat Dn. Hahn. in obs. ad VVes. d. t. n. 2. Perez. in C. eod. tit. n. 4. (2) Qu. An vidua dotem non habens, & ad secunda vota transiens, portionem hereditariam nondum exactam, ab heredibus prioris vel secundi matrimonii petere debeat? Posterius Aff. cum Treutl. per l. 3. C. de sec. nupt. vidua enim iterando nuptias facit cessare juris fictionem illam, cujus respectu hoc jus ipsi tributum, quâ in viduitate prius matrimonium durare censetur, arg. l. fin. C. de bon. matern. & iterum viduâ factâ non in priori, sed in posteriori matrimonio vivere creditur.

V. Modus autem succedendi ex jure novissimo secundum Nov. 117. hic est, ut si tres vel pauciores liberi extent, vidua usumfructum consequatur in quartâ omnium bonorum: sin vero plures, in virili portione. Si igitur mater moriatur, ad liberos, si vero liberi sine prole præmori- antur, ad matrem, non ad alios, si qui erunt liberorum hæredes, plena proprietatis venit. Fachin. 10 c. 72. Quod si autem non extent liberi, tunc præfertur vidua ascendentibus & collateralibus in illâ quartâ & dominium nanciscitur, Dn. Hahn. d. l. p. 335. Dn. Struv. Ex. 38. th. 28. Perez. d. l. n. 3. dos autem parva & legatum in hanc portionem legitimam imputari debent. d. auth. Præterea C. und. vir & ux. Treutl. d. l.

VI. Testamento quoque viduam à marito præmortuo hæredem institui posse, nullum dubium est, Nevvenh. de iur. viduit. m. 3. f. 11. l. A. dos etiam jam ante debita ei legari potest: §. 15. I. de Leg. licet enim Justinianus l. 30. C. de iur. dot. & l. un. C. de R. U. A. privilegia dotis sic auxerit, ut nihil

nihil fere commodi ex relegatione dotis capi posse videatur, subsistit tamen ejusmodi legatum propter commodum representationis, *l. 1. §. 2. de dot. præleg. l. un. §. 7. de R. U. A.* tum quod pacta doti adjecta & mulieri incommoda tolerantur, *d. l. 1. §. 1. Locam. ad d. §. 15.* vel quod agenti viduæ ex testamento non possit filius objicere exceptionem competentia, *Vinn. ad d. §. 15. n. 2.* quæ alias ei competit, *l. 18. sol. matr. vid. sect. 3. th. 12.* Minui tamen & tolli per ultimam voluntatē non possunt ea, quæ lege, statuto, vel pactis ei debentur. *Wes. p. 2. conf. 87. n. 9. & parat. ff. und. V. & U. in fin. ibique. Dn. Hahn, Treutl. vol. 1. disp. 7. th. 7. in fin. & vol. 2. disp. 16. th. 6. l. D. in fin.* Comprehenditur autem vidua non inter suos hæredes, sed extraneas personas. *Menoch. lib. 4. præsumt. tom. 1. præf. 89. n. 117.* ideoque ante aditam hæreditatem nihil de bonis defuncti mariti transmittit. *Dn. Richt. p. 1. dec. 67. n. 10.*

VII. Huic juri (1) derogant statuta & consuetudines ejus loci, ubi maritus domicilium habuit; cum hodie nulla fermè regio, nulla civitas, nullus pagus peculiaria succedendi statuta sibi non procuderit. (2) Statutis rursus derogant pacta dotalia, quæ præ cæteris omnibus attendenda & inquirenda sunt, cum provisio hominis tollat provisionem legis, *l. fin. C. de pact. conv.* nec potest vidua portione in pactis dotalibus designatâ relictâ, ad statutariam vel legitimam redire, *Berlich. p. 3. concl. 27. n. 29.* etiam si ultra dimidium sit læsa, *Berlich. d. concl. n. 32.* dotem tamen etiam præter illa assignata recuperat, *Carpzov. part. 3. const. 20. def. 4.* Disponitur autē in pactis dotalibus plerumque, quod debeat vidua succedere vel in totum, vel in partem, sed tamen ista pacta legitimo numero testium munita, de quo vid. *Dn. Hahn in obs. ad Wes. parat. de pact. n. 4.* nec contra bonos mores esse oportet, *l. 10. C. de pact. l. 1. C. de pact. conv.* *Georg, Mund. vol. 1. conf. 10. n. 6.*

SECT.

S E C T. V L T I M A.
DE OBLIGATIONIBUS VI-
DUARUM.

I. Restat ut paucis etiam de obligationibus viduarum agamus. Hæc autem vel *activè*, quatenus scilicet ipsa vidua alios sibi obligatos habet; vel *passivè*, quatenus ipsa aliis est obligata, considerari potest. De illâ prius agem⁹.

II. Habet autem vidua sibi obligatos, in casu inopiæ, mariti defuncti hæredes ad alimenta præstanda. Licet enim jure novissimo viduæ inopi ex mariti locupletis bonis quarta pars vel virilis portio jure hæreditario deferatur, & sive sufficiat alimentis, sive non, ulterius ipsi ab hæredibus nihil debeatur: sunt tamen casus quibus ex bonis defuncti mariti ali debet. Ante elapsum enim terminum legalem solvenda dotis, mulier inops ab hæredibus interea ali debet, *vid. f. 3. th. 5.* post istum terminum vero, si hæredes in solvendo moram committant, absque ullo respectu paupertatis viduæ alimenta præstanda, aut (ubi tamen res eodem recidit) alimentorum loco interesse lucri cessantis ipsi solvendum est, quia hæredes dotis fructus interea suos faciunt. Nevenh *de iur. vid. m. 2. f. 15. l. A.* à quo tamen teste Mynsing. *6. obs. 21. n. 7.* Dd communiter dissentiunt.

III. Deinde si mortuo marito gravida relinquatur vidua, alimenta ex bonis defuncti mariti ipsi debentur, donec pariat, vel abortum faciat, vel certum fiat, eam non esse prægnantem, etiamsi dotem vel dotalitium constitutum habeat. *l. s. de ventr. in p. s. mitt. Bocer. tr. de don. c. 11. n. 41. Da. Hahn. in obs. ad VVes. p. 2. pag. 534.* & propterea ventris nomine in bonorum possessionem mittitur: missio autem hæc non veram bonorum possessionem seu jus hæreditarium Prætorium tribuit, sed tantum detentionem & custodiam, ita ut Curator constituatur, qui ei ex bonis provideat, *l. 1. §.*

17. & seqq. l. 4. de ventr. in. poss. mitt. si autem sciens' prudensque se non esse gravidam fructus consumserit, eos refundere tenetur, non verò quos bona fide d. l. 1. §. 19. & seqq. l. 3. l. 4. l. 5. eod.

IV. Præterea ex dispositione ipsius defuncti viduæ aliquid quando alimenta debentur, eaque vel expressâ, vel tacitâ; de illâ non magna est controversia: exempli gratia, si maritus alimentorum nomine ei aliquid donaverit, vel legaverit, ut ideo defuncto annuatim solveretur l. 33. §. si. ff. de donat: int. V. & U. t. t. de alim. leg. De tacitâ major est disputatio, & quaeritur: Si maritus uxori omnium bonorum usumfructu relinquerit, & liberos in proprietate heredes instituerit, an vidua saltem alimenta debeantur? De Jure Civili hæc quaestio supervacua est; quippe quo jure extantibus liberis maritus uxori suæ usumfructum omnium bonorum relinquere non potest, Nov. 18. c. 3. Fachin. p. 2. controuv. iur. l. 5. c. 47. moribus tamen hoc legatum valet, & secundum communem Dd. sententiam, nisi de aliâ vel expressâ vel tacitâ voluntate testatoris constet, ad nuda tantum alimenta restringitur, Gail. 2. obs. 144. Myns. 5. obs. 37. Tiraq. in L. Si unquam. C. de rev. don. in verb. Susceperit liberos. n. 103. cum hæc tamen prærogativâ, quod ipsa tanquam administratrix de manu suâ alimenta capiat, non è manu liberorum; si tamen filii decedant, plenam consequitur proprietatem Perez. ad. tit. C. Si sec. nups. mul. cui mar. usumfr. vel.

V. Liberi quoque ipsi obligati sunt ad alimenta præstanda. Cum enim hi tanquam debitores egenis parentibus victum suppeditare debeant, Arist: 9. Eth. 2. n. 21. tantò strictior erit hæc obligatio liberorum, quantò urgentior, ut fieri solet, parentum in viduitate est inopia. Hinc piè admodum & sapienter veteres nostri Nomothetæ obligationem hanc naturalem vi legis coercitivâ muniverunt, & liberos

beros officium non facientes variis poenis coercuerunt, l. 5. pr. §. 1. & §. 17. de agn. & al. lib. l. 5. C. de patr. pot. l. 1. C. de alend. lib. & par. l. fin. §. 5. C. De bon. qua lib. Nov. 117. c. 7. non tamen matris as alienum dissolvere tenentur, d. l. 5. §. 16. de agn. & al. lib. & t. 1. C. ne fil. pro patr. Wes. parff. d. t. n. 4. nec potest vidua, quemadmodum pater, partum sanguinolentum urgente extremâ famis necessitate vendere. Dn. Strauch. dissert. ad π. 4. aph. 24.

VI. Nunc de obligationibus quibus ipsa aliis est obstricta, agendum. Tenetur autem vidua, pro eâ parte, quâ defuncto marito hæres extitit, ad funeris expensas, cum ei incumbat sepeliendi onus, cuius est commodum hæreditatis. l. 49. fam. exisc: quin si maritus plane inops decesserit, nec hæredem, nec quicquam in bonis relinquat, nihilominus ei ultimum & maximum hoc pietatis officium exhibere cogenda vidua, ut ejus sepulturam pro modo facultatum suarum honestè curandam suscipiat. l. 28. de rel. & sumt. fun. nam uxor in casu inopiæ maritum etiam de bonis paraphernalibus alere cogitur, arg. l. 1. & auth. præterea. C. und. vir & ux. Petr. Surd. de alim. tit. 1. q. 35. n. 5. funeris autem expensæ ad alimentorum debitorem pertinent. Dn. Richt. p. 2. decis. 78. n. 22.

VII. Præter dictos autem casus si ultrò defuncti obsequias procuret, disting. quo animo hos sumtus fecerit: si enim pietatis, misericordiæ, humanitatis studio id fecerit, eos non repetit. l. 14. §. 7. de rel. & sumt. fun. secus vero si eo animo ut hæredis vel defuncti negotium gerat. d. l. 14. §. 7. Cum vero donatio non præsumatur, ubi alia est conjectura, hinc in dubio magis repetendi, quam donandi animo ejusmodi sumtus factos esse præsu-

mitur. *arg. l. 1. l. 12. §. 2. l. 30. l. 32. l. 45. eod.* Jure ve-
ro Saxonico si uxor in mariti defuncti funus impensas e-
rogat, non repetit, nisi faciat consensu hæredum, aut cum
protestatione, *Sandrecht l. 1. art. 22. ibiq. Zobel. lit. B.*
Ungepp. comment. ad decret. tit. de sepult. n. 17.

VIII. Debet quoque vidua mortem mariti vio-
lentam vindicare, *l. 20. ad. SC. Sil: eundemque per an-
num lugere, l. 1. de his qui not. infam. l. 2. C. de sec. nupt.*
& quidem continuum, qui etiam ignoranti cedit, *l. 8. ff.*
de his qui not. infam. ut ita uno eodemque die & sumere
& deponere lugubrem habitum possit, *d. l. 8. & interea à*
secundis nuptiis abstinere, in hoc quippe potissimus lu-
ctus effectus consistit, l. 15. C. eod. Freh. de fama. l. 3. c.
17. n. 7. aliàs ipso jure fit infamis, d. l. 15. l. 1. l. 11. ff. eod.
ibiq. Wes. n. 5. Rationes hujus prohibitionis duæ sunt
conjunctim sumendæ. (1) honos marito defuncto debi-
tus (2) confusionis sanguinis evitatio Dn. Hahn. in obs.
ad VVes. par. de his qui not. inf. n. 5. Nevvenh. de iur. vid.
m. 3. f. 17. lit. B. Hinc etiam si certum sit, mulierem
non esse gravidam, nec tamen intra annum luctus ad se-
cunda vota transire potest. *Gothofred. ad. d. l. 11. lit. M.*
Jure Canonico permissum est mulieri non gravidæ intra
annum luctus citra infamiæ metum nubere, *c. ult. & pen.*
de sec. nupt. perdit tamen gloriam matrimonialis pu-
doris *Tiraq. in L. connub. gl. 1. part. 9. n. 3.*

IX. Qu. hic: *An uxor à marito aut extraneo ad per-*
petuam viduitatem pactis dotalibus, aut legato sub hac
conditione relicto obligari possit, ne scil. post mortem iterum
nuptias contrahat? Neg. Ne Respubl: hac ratione de-
trimentum capiat; ejus enim interest nuptias contrahi
& sobolem procreari, *l. 64. ff. de cond. & dem. Perez. ad*
C. tit.

C. tit. de ind. vid. toll. n. 1. Circa legati autem petitionem olim Lex Julia Miscella distinguebat: an intra annum, an post eundem à morte conjugis repeterentur nuptiæ: priori casu remittebatur hæc conditio, & legatum peti poterat, si juraret, se non libidinis, sed liberorum procreandorum causa nuptias appetere. Posteriori casu nuptiis jam contractis à legati petitione excludebatur, ante repetitionem verò matrimonii, si relictum exigebat, præstari quidem debebat, sed non nisi præstita cautione Mucianâ vid. *Giph. ad tit. C. de ind. vid. toll.* sed postea Justinianus favore matrimonii & metu perjurii commotus hanc L. Juliam Miscellam plane sustulit *in. l. 2. C. de ind. vid. toll.* & promiscuè hanc conditionem remitti voluit, liberis tamen prioris matrimonii existentibus nudum saltim usumfructum retinere iussit. Tandem *Nov. 22. c. 43. & 44.* eandem partim restituit, iterum exigens cautionem Mucianam in casu relictæ sub conditione viduitatis legati, partim auxilium constitutâ insuper tacitâ hypothecâ in bonis legatarii, partim denique correxit, remisso quod Miscellâ exigebat, juramento & *uti th. præced. dictum*, penitus improbatæ viduæ intra annum lucus nuptiis, quemadmodum hæc de re differit *Dn. Schmidel, diss. Inaug. de cautione Muc. c. 4. n. 14.*

X. Liberis quoque, uti hili, *de quibus th. 5.* obligata est ad alimenta præstanda, hoc enim omni juri conveniens est, si se. pater inops decesserit. *l. 20. sol. matr. Nov. 217. c. 7. auth. Si pater C. div. fact. apud quem.* Si vero dives fuerit, ex bonis ejusdem alendi sunt, ita, ut materonus alendi suscipiens jure Saxonico bonorum liberorum usumfructum secundum plerosque retinere possit. *Nevenh. m. 3. f. 20. lit. C. & D. Wel. ff. de tut. n. 5.*

Berlich. p. 2. concl. 12. n. 14. Da. Richter. decis. 8. n. 10. & seqq. Quod tamen negat Carpzov. Resp. iur. Elect. 70. l. 6. & in suo tr. de I. F. S. dec. 2. pos. 4. ubi ex professo contra Dn. Richterum disputat.

XI. Liberos quoque educatio nulli magis quam viduæ committenda, nisi ipsa secundas nuptias contrahat, l. 1. C. ubi pup. educ. vel mor. deb. tunc enim novis maritis non solum res liberorum sed & ipsam vitam addicere solent, l. 22. C. de adm. tut. An autem vitrico hæc educatio committi possit queritur? Id quod à plerisque arbitrio iudicis relinquitur. Dn. Hahn. in obs. ad VVes. par. ub. pup. educ. vel mor. deb. Perez. ad C. d. t. n. 4. Eodem modo iis quoque de informatione prospicere debet, l. 12. §. 3. de adm. tut.

XII. Singulari quoque jure tutela liberorum viduæ volenti defertur. Nov. 118. c. 5. auth. matri & avia: C. quand. mul. off. tut. fungi pt. ambiens autem horum tutelam secundis nuptiis & Scto Vellejano renunciare debet, dd. texx. Schneidvv. in pr. l. de test. tut. quod quidem olim mediante juramento fiebat. l. 2. C. d. t. sed hoc iure Novellarū ei remittitur, ac simplici eius promissioni in iudicio factæ creditur, auth. Sacramentum. C. eod. quâ ipsâ tamen tam arctè non constringitur, quin nuptias iterare possit, si modo hanc susceptam tutelam relinquere velit, d. auth. sacramentum. Secundo vero marito quoque mortuo hanc tutelam denuo ambire nequit Myns. 3. obs. 83. Cæterum hodie passim illud iuramentum obtinet, & specialis formula iurisiurandi Ordinationi Cancell. in Duc. Br. Lüneburg. Wolferbyt. adjecta est tit. forma Vormundes cydes/den eine Mutter als legitima turtrix schweren soll. In feudilibus quoque causis cum proximi-

mi-

mioribus agnatis [nutrix quandoque] admittitur. Carp-
zov. de iur. Fam. sing. dec. 2. p. 2. n. 6.

XIII. Præterea ante tutelæ administrationem debet
expectare decretum magistratus, tenetur quoque ad in-
ventarii confectionem, cautionis præstationem, nec non
ad rationes reddendas per Reform. Pol. de anno 1548. tit.
Von den Pupillen und minderjährligen Kindern tutorn &
de An. 1577. eod. tit. qui text. generaliter loquuntur, nec
usquam mater ab illis excipitur: generalitati ergo huic in-
haremus, cum in hoc passu nihil proprii habeat. Besold.
tr. de tut. & cur. c. 12. n. 2.

XIV. Quæ, autem? Si pater testamento liberis tu-
torem non dederit, matrem vero expressè ab eâ prohibuerit,
an nihilominus eidem tutela liberorum committi possit? Id
quod negat Just. Meyer C. I. A. L. 26. ff. tit. 4. n. 1. cujus
argumenta ibidem videri possunt. Rectius tamen illud af-
firmare videntur Treutl. vol. 2. disp. 8. th. 3. Hillig. in
Donell. enud. lib. 3. c. 3. lit. D. Nevvent. de iur. viduit.
m. 3. f. 22. lit. C. Cedit enim solis testamentariis. d. Nov.
118. c. 5. d. auth. matris & avia. qui cum non adsint, meri-
to huic tutela defertur, nec etiam quod liberorum favore
ex innatâ matris affectione & amore pietateque introdu-
ctâ, solo patris arbitrio immutari fas est. arg. l. 14. verb.
si pietas & ratio naturalis &c. C. de his qui accus. non pat.
Nov. 94. c. 1. Carpzov. d. tr. dec. 2. pos. 1. n. 2r.

XV. Quod si vero tutelæ onus molestum sibi du-
cat, vel ad secunda vota transeat, intra annum liberis tu-
torem petere debet, §. 6. l. de Scto Vellei. alias morienti-
um liberorum hæreditate destituuntur, d. §. 6. l. 2. §. 23.
ff. eod. l. 3. l. 6. C. eod. auth: iisdem panis. C. de sec. nupt.
nisi causas neglectæ petitionis prætexere queat, l. 2. §. 44.
ad

ad SC. Tertyll. vel liberi impuberes absque tutoribus re-
lictis puberes facti decesserint. *d. §. 6.* tunc enim liberi ma-
tri culpam remisisse videntur. Curatorem autem mi-
norennibus petere non cogitur, cum ipsi curatorem sibi
petere possint, si res eorum exigat, *l. 6. in fin. h. t.* Perez.
ad C. tit. qui pet. tut. vel Cur. n. 3.

XVI. Ceterum ex contractu viri vidua non tene-
tur. *rubr. & t. t. C. ne ux. pro mar.* nisi pecunia credita in
ipsius utilitatem fuerit expensa, vel luxu & vestitu ejus
dilapidata. *auth. Si qua mulier. C. ad SC. Vellei. Nov. 134.*
c. 8. sub fin. Lang. *de except. p. 3. c. 11. n. 129. & seqq.* Gail.
2. obs. 89. n. 2. & seq. Berlich. *p. 2. concl. 19. n. 73.* vel sese
pro illo obligaverit *l. 3. C. ne ux. pro mar.* & Scto Vellei, de
eius vi specialiter edocta renūciaverit. *l. ult. §. 4. ad SC. Vel-*
lei. conf. Ungepaar Ex. 15. quest. pen. Dn. Hahn. in obs. ad
VVes. tit. Ad SC. Vellei. in fine vel denique ejus hæres exi-
stat, tunc enim locum & personam defuncti subit, atque
hinc una cum eo persona esse dicitur *Nov. 48. pr.* Per totā
ferè Germaniam consuetudine quoque introductum, ut
uxor pro marito ratione æris alieni constante matrimo-
nio contracti teneatur, quin alicubi usu receptum, ut per-
fecto matrimonio etiam æs alienum ante illud contra-
ctum ab alterutro conjugum fiat commune. *Wibel. de*
conrt. mul. c. 5. n. 105. & 107. Deinde si maritus ex cau-
sâ primipili debeat, & non sit solvendo, dos uxoris ob
eam rationem fisco vindicatur, *l. 3. C. de primip. XII.*

XVII. Multo minus autem ex delicto viri obli-
gata est vidua, *per. l. 26. de pæn.* nisi forte ipsius hæres fa-
cta, & lis cum defuncto jam fuerit contestata. *l. un. C. ex*
del. def. §. 1. in fin. l. de perp. & temp. act. vel ex delicto
aliquid ad eandem pervenerit, *per. l. 23. §. 8. ad L. Aquil.*
l. fin.

l. fin. C. rer. amot. l. 2. in fin. ff. eod. ne cum alieno sceles
re dicitur, d. l. un. C. ex. del. def. vel ipsius mandato deli-
ctum perpetratum sit, mandans enim eadem poenâ quâ
mandatarius afficitur, arg. l. 15. ad. L. Corn. de Sic. l. 7. in
fin. de iuris. l. 1. §. 1. de eo per quem fact. vel delictum i-
stud ratū habeat: quia, qui non improbat illud quod po-
test, tacitè approbare videtur, per l. pen. §. quod autem. de
re iud. l. 13. §. 1. de his qui not. inf. l. 3. l. 4. de nox. act. l.
un in fin. furt. adv. naut. caup. stab. vel ipsius culpâ, etie-
am levissimâ deliquerit. l. 31. §. 12. de AEdil. edict. l. 47. §.
4. de leg. 1. huc facit. l. 203. de R. I. Hinc etiam est, quod,
si marito debitum conjugale deneget uxor, & is adulteri-
um committat, non solum mitius puniendus sit maritus,
sed etiam omnis culpa in uxorem rejicienda, c. 24. c. 27.
q. 2. & arbitrio iudicis punienda, Nevenh. de iur. viduit.
m. 3. f. 25. lit. C. Et huc usque de iuribus ac privilegiis vi-
duarum differuisse sufficiat: sequitur methodi lege,

M E M B R: III.

QUIBUS MODIS EA A-
MITTANTUR.

I. Intereunt autem viduarum iura & privilegia
vel casu vel culpâ: casus contingit (1) morte earum,
mors enim omnia solvit; ubi tamen aliud est in iuribus,
aliud in privilegiis; hæc enim aut personalia sunt, aut
realia. Personalia morte finiuntur. l. 68. de R. I. sic do-
ris privilegium, quod in protopraxia consistit, ratione
hæredum extraneorum morte finitur. l. un. C. de priv.
dot. non vero ratione filiorum ejusdem matrimonii, à
F quo

quod dos pronoscitur. *Nov. 91. pr. & c. 1. vid. m. 2. f. 3. d. 9.* Ita etiam forum privilegiatum & immunitates viduarum morte earum in fumum abeunt, nec arbitrium eligendi dotem vel dotalitium ad hæredes transmittit. *Koepp. p. 2. decis. 10. n. 4. 6. & 11.* Realia vero ad hæredes etiam transeunt, quale est beneficium Scti. Vellej. *l. 10. ff. l. 20. C. ad SC. Vellej.* Jura quoque ad hæredes transeunt, exceptis iis, quæ à defunctis viduis cedi non potuerunt, *Neyvenh. tr. de iur. vid. m. 3. f. 1. lit. A.* cuius generis sunt alimenta, *l. 55. ad L. Falcid.* ususfructus & dotalitium, *§. 3. l. de usufr. l. 65. de iur. dot.* (2) Interitu rei ex quâ privilegia illa debentur. *arg. l. 45. de obl. & act. l. 23. l. 33. l. 37. de V. O.*

II. *Culpa* vero accidit (1) Si luxuriosè vivat; tunc enim perdit omnia jura, privilegia & lucra viduitatis *per l. 7. C. de rev. don. Gail. 2. obs. 98. Tiraq. de Nobil. c. 18. n. 13. Panorm. in C. uxoratus. n. 2. de convers. coniug.* Luxuriosè autem vivere, non tantum illa dicitur, quæ extremâ lineâ amat, sed & quæ se libidinosè contrectari patitur, vagis osculis & amplexibus se prostituit, qui actus etiam præsumuntur ex solo multorum ad eum aditu, *Bald. l. 4. cons. 207.* non autem quæ secundas nuptias contrahit. *Neyvenh. de iur. vid. m. 3. f. 1. p. 225.*

III. (2) Si secundas nuptias contrahat; sunt autem secundæ nuptiæ duplicis generis, quædam sunt *matura*, quædam *immatura*, Si *matura* iterum disting. an super sint liberi prioris matrimonii, an vero non. Posteriori casu perdit quidem à secundarum nuptiarum consummatione dignitatem & omnia privilegia prioris mariti, *l. 8. de senat. l. 22. §. 1. ad Municip. potest tamen de jure communi vidua ad secundas transvolans nuptias,*
immu-

immunitatem & dignitatem prioris matrimonij à Principe impetrare. *l. ult. pr. de Senat. Perez. ad C. tit. de dign. n. 58. Dn. Struv. Ex. 4. th. 6.* Retinet quoque pleno jure legata & lucra nuptialia, nisi sub conditione viduitatis fuerint relicta,

IV. Priori vero casu perdit quoad proprietatem omnia ea, quæ à priori marito titulo lucrativo accepit, & quicquid ex successione filii prioris matrimonii habuit, solo usufructu apud eam remanente, proprietatem vero liberis anterioris matrimonii reservare tenetur. *l. 3. C. de sec. nupt. auth. Ex testamento C. eod. l. 5. ad SC. Tertull. Nov. 22. c. 23. Treutl. vol. 1. diff. 16. th. 2. lit. D.* Secus tamen est in iis rebus, quas alius, utut mariti contemplatione, ei donavit: allegatæ enim LL. in odium secundarum nuptiarum scriptæ sunt: odiosa autem non sunt extendenda, sed restringenda, *c. 15. de. R. I. in 6to. conf. Gothofr. ad d. l. 3. C. de sec. nupt. lit. F.* Ampliationes & limitationes plures Regulæ supra positæ vide apud Gail. *2. obs. 98.*

V. Huc etiam quodammodo referri potest, quod vidua ad secundas nuptias accedens ex propriis suis bonis novo conjugio non possit amplius dare vel relinquere, quam uni ex liberis prioris matrimonii, cui minimum assignavit. *l. 6. in. pr. C. de sec. nupt. Nov. 22. c. 27.* Nec donationem jam liberis factam ob ingratitudinem, nisi tribus ex causis, *auth. quod mater C. de rev. don.* liquidissimè & indubitato probatis revocare potest, *l. 10. C. de sec. nupt. Nevvenh. d. rr. m. 3. s. 1. p. 231.* tutelam quoque liberorum amittit, *auth. Sacramentum C. qn. nucl. off. tut.*

VI. Si vero nuptiæ *immaturæ* fuerint, præter jam recensitas poenas adhuc quinque singulares poenæ sunt

præstituta, quas vid. ap. Nevvenh. *d. tr. n. 3. s. 4. lit. B.*
Moribus tamen hodiernis non obtinent, quia hac in re
jus Canonicum sequimur. Wesenb. *parat. ff. de his qui
not. inf. n. 5.* Wissenb. *p. 1. disp. 11. th. 19. add. m. 2. s.
5. th. 8.*

VII. (3) amittit privilegia & jura viduitatis, nec
quicquam ex bonis mariti accipit, si ejus mortem violen-
tam non vindicat, & portio ejus tanquam vacans fisco ac-
erescit. *l. 20. ad SC. Silian.* Berlich. *p. 3. concl. 36. n. 6.
& 7.* idem est si maritum infirmum negligit eique Me-
dicum non adhibet. Berlich. *d. concl. n. 37.*

VIII. (4) Denique cessant, si hisce renunciaverit
quilibet enim favori pro se introducto reuunciare po-
test. *l. pen. C. de pact.* Hinc coronidis loco quaritur
*Si vidua dotalitium mariti defuncti hereditibus, eiusdem-
ve creditoribus cesserit, num & fructum simul abdicasse vie-
deatur?* Quod affirm. *per. §. 3. l. de usufr. l. 66. de
jur. dot.* Nevvenh. *sapius citato tr. de iur. viduit m. 3.
s. 4. lit. D.* Berlich. *p. 2. concl. 17. n. 61.* Rotschitz. *tr.*

Don Leibgeding c. 8, n. 12. Atque hic finis e-

sto hujus dissertationis: Deo Ter Opt. Max.

fit laus & gloria in omne ævum!



COROL-



COROLLARIA.
EX IVRE PVBLICO.

I.

IN Imperatorem Romanum non nisi Germanus eligi potest.

II.

Vicarii tempore interregni non habent Majestatem.

III.

Novus Elector 18. ætatis annum transgressus actus Electorios etiam nondum ab Imperatore investitus exercere potest, virtute enim regni & Principatus hoc jure gaudet.

IV.

Natus ante adeptam à patre Electoralem dignitatem nato post adeptam dignitatem jure primogenituræ præfertur.

V.

Solida ratio darinequit, quare Imperator Electores Ecclesiasticos vocet Neven/ secula.

F 3

res

res vero *Obheimb* / nisi ad observantiam & voluntatem Imperatoris recurramus.

VI.

Germaniæ nostræ Principes non adstricti sunt præcisè observate solennitates juris Civilis in condendis testamentis.

VII.

Vix obtinebunt illi, qui Barones Comitibus in dignitate pares asserunt, licet in multis conveniant.

IIIX.

Nobiles immediati (*die Freye Reichs-Ritterschafft / in Schwaben / Francken und am Rhein*) hodie neque ut singuli neque ut corpus inter status Imperii numerantur, cum voluntariè se exemisse dicantur: jura tamen territorialia (*die Lands hohe Obrigkeit*) adhuc habent.

IX.

Civitates Imperiales eodem modo, quo Principes Imperii Legatos mittere possunt.

X.

Recessus imperii per modum legis omnes status Imperii obligant.

EX

EX IVRE FEVDALI

I.

Fides est de essentia feudi adeoque pacto tolli non potest.

II.

Hermaphroditus secundum sexum, qui in eo prævalet, investiri potest.

III.

Minor etiam sine curatoris autoritate feudum acquirit, & ad servitia ex contractu feudali obligatur.

IV.

In pecuniâ numeratâ etiam aliquô modo feudum constitui potest, si scilicet sub obligatione ad fidem præstandam detur.

V.

Investitura abusiva non tribuit vasallo jus in re, sed saltim jus ad rem.

VI.

Mulier semel admissa ad successionem feudi foeminini postea masculo nato non tenetur id restituere. Excepto casu, si defunctus mulierem prænantem reliquerit.

Feu-

VII.

Feudum alicui ejusque filiis & filiabus concessum in dubio ad descendentes ex foeminis non pertinet.

II X.

Vasallus obligatus est domino egeno alimenta exreditibus feudi suppeditare.

I X.

Vasallus de feudo litigioso sine consensu domini transigere valet.

X.

Subvasallus est vasalli vasallus, ei que fidem praestare tenetur.



*Sphalmata typographica, quorum aliquot praeter spem irre-
pserunt, e. gr. m. 1. th. 3. lin. ult. leg. clim. th. 5. l. 41. idem.
& ead. th. l. 57. possint. m. 2. s. 2. th. 4. l. 9. possit s. 3. th. 3.
lin. 6. l. 5. m. 2. s. 4. th. 3. lin. 9. habeant s. ult. th. 15. l. 4. de-
stituitur th. 16. l. 15. teneatur. & similia, B. L. a quo animo
tolerabit.*

F I N I S.





ULB Halle
006 570 313

3



10 11







E. 29, num. 3. 40.

JURIDICA

1666, 13^a

AC PRI.

16

IIS VI.

UM

AM

ENTE NUMINE

SIDE

WERNERO

ICI ET FEUDALIS

O, DICASTERII WOL-

SSESSORE

ATRONO SUO

ERVANDO

disquisitioni subjicit

D U S R O S S

LUNEBURGICUS

RESPOND.

DITORIO MAIORI

Februarij.



STADII,

HEITMULLERI.

1666 LXVI.

